

cupulos etiam venisse Capharnaum, quæ civitas in eadem erat ripa. Itaque omnia recte consentiunt. Nomen Genesareth significat vallem floridam. Prius dicebatur urbs hæc, indeque tota vicina regio, Cenereth vel Ceneroth: inde molli inflexione dicta est Genesar et Genesareth, a qua lacus, sive mare Galilææ illi adjacens, dictum est mare Cenereth, sive stagnum Genesareth. Nam Chaldaeus pro Cenereth, vertit Genesar. Ita Andreas Masius, in *Josue* XIX, 33. Audi Josephum, lib. III *De Bello*, cap. XVIII: « Ad lacum Genesar ejusdem nominis terra profenditur, natura simul et pulchritudine admirabilis. Præter aeris lenitatem fonte irrigatur uberrimo, qui Capharnaum ab indigenis appellatur. Longitudo autem regionis secundum littora cognominis lacus, triginta stadiis extenditur et latitudo viginti. » Adrichomius censet, et S. Hieronymus in *Locis Hebr.* innuit, Cenereth, sive Genesareth esse urbem Tiberiadem, sed repugnat Chaldaeus, Franciscus Lucas et alii. Adde Tiberiadem longe abesse a Capharnaum et Bethsaida. Denique Cenereth erat in tribu Nephthali, ut patet *Josue* XIX, 33; Tiberias autem in tribu Zabulon. Denique Cenereth sita erat juxta Capharnaum, ut dixi vers. 13.

35. ET CUM COGNOVISSENT EUM VIRI LOCI ILLIUS, MISERUNT IN UNIVERSAM REGIONEM ILLAM, ET OB-TULERUNT EI OMNES MALE HABENTES, ET ROGABANT EUM, UT VEL FIMBRIAM VESTIMENTI EJUS TANGERENT. ET QUICUMQUE TETERUNT, SALVI FACTI SUNT. — Græce, *ἰσαόρατοι*, id est servati sunt; Syrus, *sanati sunt*. Significat amplitudinem fidei infirmorum, æque ac beneficii et miraculi Christi:

facile enim erat cuilibet, Christum se offerentem tangere, ejus autem tactus sanabat omnes tangentes. Pro *fimbriam*, Syrus vertit *alam*, id est, ut Arabicus, *extremiorem vestimenti*. Caro enim Christi adeo est efficax et salutaris, ut et vestis qua tegitur, suam virtutem communicet. Hinc colligit S. Chrysostomus: « Si illi, qui fimbriam Christi tetigerunt, sanati sunt, quanto magis qui totum Christum tangunt, imo manducant in Eucharistia! quæ enim theriaca efficacior carne et deitate Christi? » Narrat S. Gregorius Nazianzenus, orat. 11, Gorgoniam sororem suam, tacta Eucharistia a gravissimo et incurabili morbo fuisse curatam.

Denique Christus occasione miraculi multiplicationis panum, quibus aluit quinque hominum millia, subtexit sermonem illum sublimem de pane spiritali et eucharistico, quem fuisse narrat S. Joannes, cap. vi.

Atque hic finiuntur acta Christi, a secundo Paschate usque ad tertium, id est acta secundi anni prædicationis Christi, ut colligitur ex *Joannis* VI, vers. 1, ubi ait hæc confisige circa Pascha. Erat enim hoc tertium Pascha Christi jam prædicantis. Primum enim ejus Pascha recensit Joannes, cap. II, vers. 13; secundum autem, cap. V, vers. 1; tertium denique, cap. VI, vers. 1 jam citato. Superest ergo annus tertius et ultimus prædicationis Christi, scilicet acta ejusdem a tertio Paschate usque ad quartum, quo passus et crucifixus est, ut patet *Joan.* XIII, 1; *Matth.* XXVI, 1; *Luc.* XXII, 1: quæ enarrat Mattheus a cap. XV usque ad finem sui Evangelii.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus reprobat lotiones et alias traditiones frivolas Phariseorum, quas ipsi legi Dei anteponebant, ac contra eos statuit hoc axioma: « Non quod intrat in os, sed quod procedit de corde et ore, hoc coinquinat hominem. » Secundo, vers. 22, obsecrante Chananea ejus filiam sanat, ob matris fidem et obsecrandi constantiam. Tertio, vers. 30, sanat multos mutos, cæcos et claudos; ac vers. 32, septem panibus cibatur quatuor hominum millia.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei, dicentes: 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant. 3. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: 4. Honora patrem et matrem. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit; 6. et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam; et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: 8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. 9. Sine causa autem colunt me, docentes doc-

trinas et mandata hominum. 10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite et intelligite. 11. Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisei, audito verbo hoc, scandalizati sunt? 13. At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, radicabitur. 14. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatur præstet, ambo in foveam cadunt. 15. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edisere nobis parabolam istam. 16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis? 17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem; 19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemie. 20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. 21. Et egressus inde Jesus, secessit in partibus Tyri et Sidonis. 22. Et ecce mulier Chananea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David: filia mea male a dæmonio vexatur. 23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. 25. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 27. At illa dixit: Etiam, Domine: nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. 29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ; et ascendens in montem, sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles et alios multos; et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos: 31. ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; et magnificabant Deum Israel. 32. Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Miserere turbæ, quia triduo jam perseverant hæcibus, et non habent quod manducent; et dimittite eos jejunos nolo, ne deficiant in via. 33. Et dicitur ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? 34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, et paucos pisciculos. 35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. 36. Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. 37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfluit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. 38. Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. 39. Et dimissa turba, ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan.

1. TUNC ACCESSERUNT AD EUM AB HIEROSOLYMIS SCRIBÆ ET PHARISEI, DICENTES. — Nota primo Mosem in lege veteri jussu Dei sanxisse, ut Judei abstinerent a contactu morticini (cadaveris mortui) avium rapacium et immundarum; item leprosi, menstruati ac multarum rerum similium; ac si quis ea casu tetigisset, censeretur immundus et irregularis, ita ut non liceret illi ingredi templum, nisi prius lotione lege præscripta, hæc legalem immunditiam et irregularitatem purgando expiasset, ut per lotiones hæc corporales adhiberetur, et excitaretur crassos Judæos ad lotiones spirituales animæ faciendas per contritionem et penitentiam. Vide dicta *Levit.* XI, 31. Judei ergo, et præsertim Pharisei, qui volebant ceteris haberi religiosiores, totam suam sanctitatem in constituentes

2. QUARE DISCIPULI TUI TRANSGREDIUNTUR TRADITIONEM SENIORUM? NON ENIM LAVANT MANUS SUAS CUM PANIBUS (panis per synecdochen Hebræis omnem

crebro ante cibum, imo in ipsa mensa, ut hic et alibi inuit Scriptura, se lavabant, ideoque in nuptiis Cana Galilee posite erant sex hydræ ad hanc purificationem. Joan. II, 6 (sic Hellogabalus Imperator ad singula fercula lavabat manus, teste Lampridio), ut si forte inscil vel incogitantes aliquo fortuito conto: tu immunditiam hanc et irregularitatem corporalem contraxissent, eam abluerent: hac de causa, crebro quoque lavabant calices et paropsides, e quibus bibebant et comedebant, quin et lectulos mensales, ut patet *Marc. VII, 4*, solliciti nimirum et anxii, ne si imunda essent hæc vasa cibos ipsos, et consequenter comedentes ex eis (ut patet hic vers. 11) contaminarent et polluerent: hæc autem consuetudo, ut consuetudo, non vero ut lex fuit habita (lex enim nil tale præscribit), sed a religiosis, imo superstitionis Pharisæis instar legis fuit inducta et more recepta. Unde:

Nota secundo, hanc Pharisæorum et Judæorum consuetudinem nimis scrupulosam fuisse parve aut potius nullius pietatis vel utilitatis: totos enim eos occupabat in lotione externa: quare eos vocabat ab interiore cura, et lustratione animi a peccatis. Neque Deus tam anxiam lustrationem externam ab eis exigebat, quin potius eam vultuisset Deuteronomium, *rv, 2*. Christus ergo legi veteri, et maxime vanis et frivolis, noxiisque hisce traditionibus finem imposuit, volensque ad animi lustrationem curam omnem dirigi, noluit hæc servare, nec discipulis lotiones præscribere, licet id expresse Pharisæis non responderet, ad vitandam eorum invidiam, accusationem et calumniam. Frustra igitur hunc locum heretici obijciunt Catholicis contra traditiones Apostolicas et Ecclesiasticas. Hæ enim utilissimæ sunt, spirituales et ad perfectum servandam Dei legem ab Apostolis eorumque successoribus institutæ et traditæ, cum istæ essent Pharisæicæ, id est futiles, erroneæ et legi Dei contrariæ, imo eas Scribæ præponant legi Dei, ac præ illa observant, ut patet vers. 11. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus et alii. Id plane liquet ex Thalmudicis, qui in libro cui titulus: *Centum benedictiones*, tradunt manus primum abluendas esse et tergendas: alioquin, inquit, panis qui comeditur, immundus judicatur; et mox fundenda est aqua tribus vicibus super manus: in prima fusior est digitus sursum lavandus, in posterioribus manus simul lavandæ; denique oportet ut in ablutione manuum, sinistra quasi famula subserviat dextræ. Hæc et plura nugarum plena isti negligerunt. Quocirca Pharisæi, teste S. Justino, *Contra Tripsonem*, vocati sunt *Baptistæ*. Vide S. Epiphanium, lib. I, *heresi 17*, ubi docet fuisse quoddam genus Scribarum et Pharisæorum, qui singulis anni diebus baptizabantur, eaque de causa appellatos esse *Hemero-baptistas*, eo quod censerent hominem non posse vivere, nisi singulis diebus in aqua merge-

retur, ac ita ablueretur et sanctificaretur ab omni culpa. Similes etiamnum sunt apud Judæos inter Rabbinos. Verum hæc est anatum potius et piscium vita, quam hominum.

3. JESUS AUTEM RESPONDENS, ait ILLIS: QUARE ET VOS TRANSGREDIMINI MANDATA DEI PROPTER TRADITIONEM VESTRAM? — Arabicus: *Propter statuta vestra*. Propter nonnulli vertunt per, sed eodem redit sensus, *q. d.* Vestra traditiones spernunt violantque legem Dei: ergo erroneæ sunt, impie, Deo contrariæ, nec observandæ. Frustra ergo accusatis meos discipulos, quod eas non servent.

Nota *in vestram, q. d.* Traditiones vestras non sunt institutæ a Deo, nec a Sanctis priscisque Patriarchis et Prophetis, sed nuper a crassis Scribis et Pharisæis antecessoribus vestris adinventæ, quas vos tueri vultis, non illorum amore et reverentia, sed quia in illorum locum succedatis, ut similes traditiones novas sanciri potestatem et auctoritatem vobis arrogatis. Divinæ vero et Patriarchales traditiones sunt, ideoque omnino observandæ: libros Mosis, Isaiæ, Jeremiæ, Davidicis ceterorumque Prophetarum esse canonicos; Deum esse unum in essentia, sed trium in personis; vera plenaque contritione ex amore Dei expandi esse peccata; parvulos contrahere peccatum originale, ideoque Sacramento a Deo instituto esse peccata expandios, etc.; quas vos, o Scribæ, occupati vestris baptismatibus, vel ignoratis, vel parvi facitis.

4. NAM DEUS DIXIT (Græce *ἐπέταξε*, id est *mandavit*. *Exodi XX, vers. 12*): HONORA PATREM ET MATREM. — «Honora,» id est revere, obedi et sustenta patrem et matrem, si indigent. Honor enim hic, et alibi in Scriptura, non tantum reverentiam, sed et opem, eleemosynam et sustentationem complectitur, ut patet ex seq. et ex *Marc. VII, 12*. Honor ergo tria continet, et tria vult parentibus a filiis exhiberi, reverentiam, obedientiam et beneficentiam. Vide dicta *Deut. v, 16*, et I *Timoth. V, 3*.

ET QUI MALEDIXIT PATRI VEL MATRI (Arabicus: *Qui dicit verbum malum in patrem suum, vel matrem suam*), MORTE MORIATUR, — id est omnino moriatur, certa plenaque morte absque ulla spe veniæ plectatur. Citat *Levit. XX, 9*. Sensus est, *q. d.* Si si qui verbis tantum maledicti patri vel matri, ex lege reus est mortis, quanto magis reus mortis est is qui eisdem maledicat, surripitque jure naturæ debitam sustentationem, nec tantum jure surripit, sed et alios ex cathedra quasi doctor surripere docet, uti facilius vos, o Scribæ, doceales *corban*, de quo vers. sequenti. Ita S. Chrysostomus.

5. VOS AUTEM DICITIS: QUICUMQUE DIXERIT PATRI VEL MATRI: MUNUS QUODCUMQUE EST EX ME, TIBI PROBERIT. — Subaudi, benefecit, et legem Dei de honorandis parentibus implebit. Est aposiopesis. «Munus quodcumque est ex me,» id est munus

quodcumque ego Deo obtulero vel vovero, hoc tam mihi, quam a tibi,» o pater, vel o mater, in animo et corpore «proderit.» Deus enim hoc munere illectus, vicissim sua munera mihi tibi liberaliter elargietur, ac de alimentis providebit. Itac enim multiplici religionis aut voti specie et fuce docebat Scribæ parentibus alimonia, etiam necessariam, esse denegandam, si illa, vel illius pretium Deo offerretur, idque faciebant hoc fine, ut in quaestui et lucro studerent. Plerique enim Scribarum et Pharisæorum erant sacerdotes, qui oblationes Deo factas quasi ministri Dei recipiebant, hisque se et suos alebant. Qua in re manifeste errabant; quia vineulum et jus pietatis, quo filii obligantur alere parentes pauperes, est legis natura, cui proinde omne votum, omnis oblatio omniaque vineula jure divino vel humano inducta cedere et postponi debent. Sic si quis vovisset Deo sua bona, et pater ejus incidere in egestatem, bona ejus patri danda forent, non templo; imo filius religionem ingredi nequit in gravi necessitate parentum, adeoque ingressus illam egredi tenetur in extrema eorum inopia, ut illis succurrat, ut docet D. Thomas, Sylvester, Navarrus, Toletus et alii doctores casuum in explicatione quarti præcepti. Quocirca S. Augustinus, teste Possidonio in ejus Vita, cap. xiv, hereditas a nonnullis suæ Ecclesiæ oblatas recusavit, quoniam justum et æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filius, vel parentibus, vel affiniis magis possiderentur, quibus ab eis deficientes, dimittere noluerant; nonnullas quoque a parentibus oblatas, sed postea per filios repetitas reddidit. Addebatque: «Legata magis offerenda esse, quam exigenda.» Hucusque Possidionius.

Nota, *munus* hoc Hebr. dicitur *קרְבָן corban*, ut habet Marcus, cap. vii, 11, cujus crebra est mentio in Levitico, cap. i, ii, iii et seq., ubi agni, hirci, vituli Deo oblati in holocaustum, aut victimam pacificam, vel pro peccato, vocantur *corban*, id est oblatio. Hinc gazophylacium, in quod inferebantur oblationes a populo, metonymice dicitur *corban* vel *corbona*, *Matth. XXVII, 6*. Avari ergo et impij Scribæ docebant populum, ut sua offerrent Deo et Templo, ac parentibus inopia laborantibus dicerent *corban*, quod tantummodo erat dicere, quantum apud Belgas pauperibus eleemosynam petentibus est dicere: *Godt helpe u*; et apud Gallos: *Dieu vous aide*; et apud Italos: *Dio t'aiuti*, *ho* est, *Deus t. adjuvet*, nam ego te adjuvare et eleemosynam dare nequeo vel nolo. Dicere *corban* igitur erat petitionem refutare, negare subsidium. Porro, dicendo *corban*, parentibus cibum postulantis occultabant os, injiciendo eis scrupulum conscientie et metum religionis, ne Deo sum *corban* summe holocaustum eriperent; *q. d.* Res hæc est sancta, utpote vota vel dicata Deo: Vide ergo ne tu, o pater, eam ad usus tuos flagitando profanes, et sacrilegium com-

mittas. Quo auditu percussus, et quasi fulmine icti obmutescerant parentes, malentes fame emori, quam esse in Deum sacrilegi. Vide quo impietas Scribarum adgebant pios parentes.

6. ET NON HONORIFICABIT PATREM SUUM, AUT MATREM SUAM. — *q. d.* Itaque hac ratione filius licite poterit non honorare, id est non alere patrem vel matrem egentem, si videlicet Deum illi preponat, ac honoret illo munere, quod parentibus dandum erat. Planius enim est, ut hæc verba adhuc sint Scribarum, quam Christi. Ita Maldonatus, licet Jansenius censeat esse Christi, nec improbabilius. Unde Marcus sic habet: «Et ultra non dimittitis esse quidquam facere patri suo, aut matri (1).»

ET IRRITUM FEGITIS (Græce *ἀπαργατίζετε*, id est *ex-auctorastis*, antiquastis, abrogastis) MANDATUM DEI (HONORA PATREM ET MATREM) PROPTER TRADITIONEM VESTRAM, — qua docetis filios dicere parentibus indignis *corban*. Nota *in vestram*: triplices enim sunt traditiones. Præma sunt divines, quas scilicet Deus præcepto suo sanxit, esto id nusquam in Scriptura conscriptum sit: talis est baptizandus esse parvulus, hoc enim nusquam scriptum exstat, sed traditio Ecclesiæ constat. Secundæ sunt ecclesiasticæ, quas scilicet Ecclesiæ, id est Pontificis et Prælati Ecclesiæ suo mandato staturunt, uti sunt cæremonia Sacramentorum et sacrificii Eucharistici; Item jejunia, tanta similesque sanctiones: hæc enim non tam humanæ sunt, quam divines, quia Ecclesiæ regitur a Spiritu Sancto. Tertie sunt civiles, aut certorum hominum, eaque duplices: bonæ scilicet, aut malæ, D'ique legi contrariæ, quales erant hæc Scribarum, et de his tantum loquitur hic Christus, ideoque ait *in vestram*, qua scilicet vos docetis filios dicere *corban* parentibus, eisque debitum ex decalogo honorem et alimonia negare.

7. HYPOCRITE, BENE PROPHETAVIT DE VOBIS ISALAS DICENS: — Scribæ vocat hypocritas, quia exterius præ se ferebant sanctitatem, videbanturque religiosiores cæteris, cum interius essent irreligiosi, avari et impij; nam sue avaritiæ prætexebant *corban*, id est Dei oblationem et cultum.

8. POPULUS HIC LÆTIS ME HONORAT, COR AUTEM EORUM LONGE EST A ME. — Arabicus: *Hic populus propinquus est mihi ore suo, et honorat me labiis suis, et cor ejus est distans a me.*

(1) Plauto aliter habet textus græcus, *missus*: *Vos autem dicitis: Qui dixerit patri vel matri: et Donum Deo est, Deo dicatum est (vel, ut alii mutant, sit, aut erit), id quo a me juravi paces, non honorabit, id est poterit non honorare, non sublevare patrem suum vel matrem suam, liber erit ab eo officio. Tichendorf in nonnullis codicibus, quos sequitur C. Tischendorf, non haberi xxi ante *in* *quærens*, eodem manente sensu; habendum est enim, si legatur, ut *ἀποδοτε*, more hebræo. Alii post et *honorabit*, etc., sal. aud. *est*; minus*

Nulla re  
Bijonem  
ingredi  
non po  
test in  
gravi pe  
restum  
necessita  
te.

vers. 4  
Marc. m  
10.

9. SINE CAUSA AUTEM COLUNT ME, DOCENTES DOCTRINAS ET MANDATA HOMINUM. — Arabicus: *Et colunt me frustra, et docent doctrinam mandatorum hominum.* Citat *Isaia* xxix, 13, ubi illa explicui.

10. ET CONVOCATIS AD SE TURBIS, DIXIT IIS: AUDITE, ET INTELLIGITE. — Ego vos docebo de vera anime munditie vel immunditie, ut dedicatis quod Scribæ vos docuerunt, scilicet animam fieri immundam ex manibus vel cibis immundis.

11. NON QUOD INTRAT IN OS, COINQUINAT (Græce *καται*, id est *contaminat*), communem facit, id est coinquinat: cibi enim immundi et coinquinati communes erant omnibus, etiam immundis, mundi vero proprii erant solis mundis, hi soli enim eis vesci poterant. Hinc commune idem est quod immundum, ut patet *Act. x, 15.* HOMINEM, SED QUOD PROCEdit EX ORE, hoc COINQUINAT HOMINEM. — *q. d.* Scribæ vos, o populi, docent, non licere illotis manibus comedere, eo quod illote manus et immundæ faciat animam cibum; cibum autem immundum faciat animam immundam, id est Deo ingratam et invisam. Verum errant, quia non quod extrinsecus intrat in os, sed quod intrinsecus exit de ore, et consequenter de corde, si immundum sit, hoc coinquinat hominem, ut explicat Christus, vers. 19. Peccatum enim adeo debet esse voluntarium, ut, nisi sit voluntarium, non sit peccatum, ait S. Augustinus; sic et virtus, nisi sit voluntaria, non est virtus.

Error hic Scribarum oriebatur ex eo quod, *Levit. xi*, caro porcina cæterique cibi ibidem vetiti, ideoque immundi, vocantur execrabiles et abominandi, dicunturque polluere animam. Unde, vers. 42, sancitur: «Nolite contaminare animas vestras» esu immundorum. Et vers. 40, «sancti», id est mundi «estote» in comedendo, «sicut ego sanctus», id est mundus, «sum.» Et mox: «Ne polluatis animas vestras in omni reptili» comedendo, quæ omnia crasse accipiebant Scribæ, quasi ipsi cibi immunditatem affarent animæ, eo quod anima illos tangat in stomacho, dum eos digerit; sicut immunda animalia lege veteri immundum legaliter et irregulare faciebant eum, qui illa tangebant. Verum errabant, tum quia illa immunditia erat legalis et corporea, nec animam peccato inquinabat; tum quia cibus non est capax peccati, sed sola voluntas. Cum ergo cibus nullum in se habeat peccatum, quomodo illud affabit animæ et voluntati?

Sic Pythagoras et Plutarchus, tract. *De Esu carnis*, et lib. VIII *Synops.*, cap. x, docent abstinendum esse a cænis et fabis, quod hæc animam contaminant. Idem dicunt Turcæ de vino sibi a Mahomete in *Alcorano* vetito, legatus imperatoris apud Turcarum imperatorem, se vidisse Turcam qui, cum ei proponeretur vinum, cuius ille erat avidus, ingentem clamorem edidit. Rogatus cur? Inclamo, inquit, anime meæ, ut a stomacho in pedes secedat, ne

vino lege nostra vetito, quod biliturus sum, polluatur. Sic tempore Christi et Apostolorum primi hæresiarchæ, ex Judæis oriundi, et judicantes, ut Simon Magus, Saturninus, Ebion, ac postea Manicheus, Marcion et Encratite docere vinum et carnes non esse creatas a Deo, sed a diabolo, ideoque natura sua esse malas et cavendas, eorumque esu et usu animam maculari et contaminari; præsertim quod nonnulli ex eis dicerent, cum carnibus animalis animam ipsam comedi, illamque esse rationalem, ideoque piam, vel impiam. Audi S. Epiphanium, *heresi* 64: «Edentem carnes Manicheus animam edere dicit, et esse ipsum reum, ut et ipsi tale quid fiat: si taurum edat, ut taurus fiat; si porcum edat, porcus fiat; et sic de reliquis. Quapropter ab animalis abstinent isti.» Contra hos ait Apostolus venturos impostores, qui doceant «abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione,» etc., «Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur,» *1 Timoth. iv, 4.* Vide ibi dicta. Quare perperam hoc loco abutuntur heretici contra jejunia ab Ecclesia indicta: Ecclesia enim non prohibet carnes die jejunii, eo quod ipse in se male sint, sed ad refrenandam gulam et luxuriam, et ad exercendam penitentiam simul cum obedientia. Si quis ergo in die jejunii comeda carnes, peccat, non quod carnes, sed quod ipsa inobedientia et intertemperata comedentis coinquinat animam. Simili enim modo olim Judæi comedentes carnem porcina, vel alium cibum lege vetitum, peccabant et polluebant animam, non per carnem, sed per inobedientiam, juxta illud paulo ante citatum: «Nolite contaminare animas vestras,» *Levit. xi.*

12. TUNC ACCEDENTES DISCIPULI EÏS, DIXERUNT EÏ: SCIS QUIA (QUOD) PHARISÆI, AUDITO VERBO HOC, SCANDALIZATI SUNT? — «Tunc,» quando scilicet, dimissis turbis, Christus cum suis in domum venerat, ut patet *Marci vii, 17;* «scandalizati,» id est offensi sunt, quia Pharisei omnem suam sanctitatem ponebant in externis lotionibus manuum, etc.; quare audientes illas a Christo despicit et confutari, indignati sunt quod illis nomen sanctitatis adeo ab ipsis expetitum adimeret. Non tamen ausi sunt hincere et Christo contradicere, quia nimis solida ratione ab illo fuerant convicti, tum hie, tum paulo ante in *corban*, nec satis intelligebant sententiam Christi, utpote qui more suo eis parabolice, hoc est obscure loquebatur, dicens: «Non quod intrat in os, sed quod procedit de ore, coinquinat hominem.»

13. AT ILLE RESPONDENS AIT: OMNIS PLANTATIO QUAM NON PLANTAVIT PATER MEUS CÆLESTIS, ERADICABITUR. — «Plantatio,» id est planta, semen, fructus, arbor, per quam S. Hilarius, Chrysostomus et Theophylactus accipiunt doctrinam, *q. d.* Doctrina Phariseorum de cibis immundis au-

centibus, a me confutabitur et eradicabitur. Melius alii per plantam accipiunt homines: hi enim sunt plantæ plantatæ a Deo in paradiso, sed vitiatæ a serpente, replantantur ab eo cum Christo, qui est *arbor vite*, per fidem et gratiam inseruntur, tuncque proferunt fructus bonorum operum vite eterne meritorios; secus autem manent arbores steriles, vitiatæ et corruptæ, ideoque eradicandæ et in ignem æternum mittendæ, ut eisdem Phariseis comminatus est Ioannes Baptista, *Matth. iii, 10.* Ipsi enim Christo, ac consequenter Deo Patri, quasi hostes jurati semper se opposuere. Jansenius per plantas has a Deo non plantatas accipit reprobos. Verum non est verisimile Christum eos, cum nobis incogniti et incerti sint, voluisse hoc sermone demonstrare, aut hujus Phariseorum malitie causam in Dei reprobandone rejicere, itaque illam quasi excusare. Homines ergo perversos, scilicet Scribas et Phariseos, qui se malas plantas propria voluntate fecerunt, ideoque excindendæ et in ignem gehennæ mittendæ sunt, ni convertantur, intelligit. Ita S. Hieronymus et Origenes, hom. 1 in *Jeremiam*, Maldonatus et alii.

14. SINTE ILLOS, CÆCI SUNT, ET (Græca, *τυφλοι*, Arabicus et Latini aliqui omittunt) *et*, ut sermo sit strictior et nervosior) DUCES CÆCORUM: CÆCUS AUTEM, SI CÆCO DECATUM PRÆSTET, AMBO IN FOVEAM CADUNT. — *q. d.* Sinite Scribas scandalizari, nolite curare quod offendantur mea doctrina et correctione, quia ipsi sunt cæci; non enim vident lumen veritatis, legis et fidei a me exhibitum, sed in sua cæcitate et errore, quo sanctitatem in lotionibus cæterisque rebus externis collocant, sunt obstinati et incorrigibiles, sicutque «duces cæcorum,» scilicet populorum et turbarum, quos hunc errorem docent, et in foveam gehennæ secum trahunt. Quare ego apud turbas, que adhuc illuminari et corrigi possunt, hunc eorum errorem palam ostendi et redargui, ut eum caveant. Docet hic Christus contemnendum esse scandalum Phariseorum, scilicet cum quis sua malitia et perversa obstinatione scandalizatur et offenditur. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 7 in *Ezech.*: «Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.»

15. RESPONDENS AUTEM PETRUS (quasi antesignatus Apostolorum), DIXIT EÏ: EDISSERE NOBIS PARABOLAM ISTAM, — id est istum obscuriorem sermonem (vide dicta cap. xiii, 35, et *Proverb. i, 4*) quo dixit: «Non quod intrat in os, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.» Quid est enim ex ore procedens, quod coinquinat hominem? et si foras emittitur, quomodo interna anime coinquinat.

16. AT ILLE DIXIT: ADHUC ET VOS SINE INTELECTU ESTIS? — Græce *ἀνοητοι*, id est expertes intelligentiæ, insipientes, non intelligentes, *q. d.* Cap. v et vi, fuse vos docui quibus in rebus

mentis veritas vel impuritas consistat, ac speciatim perbas iracunda, maledica, contumeliosa, perjura, quæ ex ore procedunt, contaminare hominem: quomodo ergo id oblii estis, nec intelligitis?

17. NON INTELLIGITIS, QUIA (quod) OMNE QUOD IN OS INTRAT, IN VENTREM (stomachum) VADIT, ET IN SECESSUM EMITTITUR. — Ex hoc Christi dicto, Porphyrius et Julianus Apostata calumniabantur Christum, tanquam physice ignarum, testa S. Hieronymo, eo quod non omnis cibus, qui in os intrat, in secessum emittatur, sed pars ejus mellior vertatur in substantiam comedentis, eumque aliat et auget. Quibus respondet S. Hieronymus, atque: «Hi, dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam. Quamvis enim tunc humor et liquens esca in corpus fundatur, tamen cum in venis et artibus concocta fuerit, et digesta per oculos meatu corporis, quos Græci *πόροι* vocant, ad inferiora dilabitur, et in secessum vadit.»

Verum hoc caute et cum grano salis accipiendum, scilicet quod pars aliqua per poros evanescat, vel in secessum emittatur. Omnis enim cibus non totus, sed secundum aliquam sui partem impuriorem et faeculentiore in secessum emittitur. Prima enim cibi digestio et conversio in chylum fit in stomacho, ubi partes crasse et inepte nutritioni corporis egeruntur per faeces in secessum. Secunda digestio fit in hepate, ubi chylus vertitur in sanguinem, partium vero inutilium secretio et egestio fit per urinam. Tertia digestio fit in singulis membris, que sanguinem ex hepate per venas acceptum sibi assimilant convertuntque in carnem, ubi egestio partium inutilium fit per poros, per quos partes sanguinis ad carnem inepte expelluntur per sudores, vapores et exhalationes. Exit Marcus, cap. vii, vers. 19, addit: «Exit in secessum, purgans omnes escas.» Sensus ergo Christi est, *q. d.* Adeo cibus illotus vel immundus non inquinat animam, ut docent Scribæ, ut omne id quod in os immundum et impurum est, homo per faeces ejiciat et in secessum emittat: quod ergo restat, purum est, et in purum chylum, sanguinem carnisque vertitur. Ergo illum, et per illum animam inquinare nequit.

Porro, docent medici, ipsaque experientia constat, in stata ætate, puta in viris, signum sanitalis esse, cum quis tantum fere per faeces, urinam et sudores egerit, quantum per cibum ingressi; quia tunc corpus est in statu, ita ut non augeatur nec crescat; sed prioribus carnis partibus calore naturali resolutis et diffundentibus, succedunt aliæ meliores et novæ ex alimento et cibo: quare hie totus non egerit saltem tunc nam in carnem versus suo tempore consumetur diffuset et egeretur, uti cætera priores carnis partes. Addit S. Chrysostomus et Salmeron Christum alludere et argumentari ad hominem,

Ver. 15.  
Mar. vii.  
17.

Ver. 16.  
Mar. vii.  
18.

scilicet ad errorem Judæorum, qui censebant cibum immundum ex se exhalare tetrum odorem ad cor, in quo solo putabant Judei animam residere, itaque per cor animam ipsam polluere: quare hominem non esse mundum, nisi plene facta cibi digestionem et egestionem; omnem enim cibum, ut ingestus est, ita vicissim egeri, q. d. Christus: Omnis cibus secundum vos, o Judei, tandem egeritur in secessum; ergo secundum vos nequit inquinare animam, utpote que eum a se repellat et rejiciat.

Error Magistri Sententiarum.

Ex hac Christi sententia ortus est error Magistri Sententiarum, qui, lib. II, dist. ult., in fine, docet singulos homines ex Adamo trahere exiguum carnis particulam, ac per eam contrahere ex eodem peccatum originale, « in quo omnes peccaverunt, » Rom. v; hanc autem particulam multiplicari in se et per seipsam augeri (utpote que sola cuique homini sit substantialis), non vero ex cibo, cibum enim tantum esse fomentum hujus particule, non vero alimentum vel augmentum, sed totum in secessum emitti, ut ait hic Christus: ideoque hanc particulam solum resurrecturam in die iudicii. Hinc rursus colligitur Christum, licet natum ex Adamo, non tamen ex eo contraxisse peccatum originale, quia particula, quam ipse traxit ex illo, pura fuit et immunis ab omni vitio et peccato. Hæc omnia probare nititur ex hisce Christi verbis. Verum hæc fusa confutat D. Thomas, I part., Quæst. ult., art. 1, et Scholastici ibidem. Etiam si enim Adam habuisset corpus instar montis, non tamen illud sufficere ad continentium tot particulas, quot tot millenis millionibus hominum, qui ex eo assidue nascuntur, sigillatim suggerende forent. Rursus particule illæ deberent esse incorruptibiles, cum tamen caro omnis cito corrumpatur. Quare plerique hominum nil prorsus materie trahunt ex Adamo, contrahunt tamen ex eo peccatum originale; quia in eo fuerunt causaliter secundum seminalem rationem, quia scilicet ex eo per eam generationem propagantur et filii.

Denique impure et inepte hæc Christi verba torquet Oecolampadius contra realem præsentiam carnis Christi in Eucharistia, dicens: « Si caro Christi est cibus noster, ergo ut cibus in secessum emittitur, quod absit. » Sed respondet Roffensis, lib. 1, contra eum, cap. xxix: « Christi corpus cum in Eucharistia sit modo indivisibile et impatibile, a nobis comedentibus in se non dividit, non alterari, non concoqui, ut caro communis concoquitur, ac consequenter non habere feces que emittantur; omnis enim concoctio et mutatio fit in speciebus panis et vini, non in corpore Christi. »

Tropologicæ: discite hic, quam contemnenda sint oris et gustus nitores, lautitiae et delicie, utpote que illic in spurcum ventrem vadant, qui illas corrumpit, et in feces sordisque con-

vertit adeo abominandas, ut nemo eas videre, tangere vel odorari sustineat, sed in latrinas projiciat. Quare ne sit tibi curæ, de quam pretiosis cibis stercus conficias, ait S. Hieronymus: nam quo pretiosiores et delicatiores sunt cibi, eo post digestionem et egestionem magis sunt fetidi et abominabiles. Exemplum illustre recenset B. Petrus Damianus, lib. VII, epist. ad Blancam comitissam, de uxore ducis Venetorum, quæ in summis deliciis nutrita, adhuc vivens computruit adeo ut nemo intolerabilem ejus fetorem ferre posset. Unde concludit: « Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro; quodque perhibet mortua, testetur et viva. »

18. QUÆ AUTEM PROCEDUNT DE ORIBUS, DE CORDE EXEUNT, ET EA COINQUINANT HOMINEM. — « De corde, » id est ex ratione et voluntate, cuius symbolum, imo sedes et officina est cor. Cor enim subministrat spiritus vitales et animales intellectui necessarios ad intelligendum, et voluntati ad amandum; imo Galeus docet censum communem, qui intellectui proxime subservit, esse in corde, licet Aristoteles verius censet eum esse in cerebro; sed cor cerebro subservit, et spiritus submittit.

19. DE CORDE ENIM EXEUNT COGITATIONES MALE, HOMICIDIA, ADULTERIA, FORNICATIONES, FURTA, FALSA TESTIMONIA, BLASPHEMIE. — Sicut enim ex fonte ebulliunt aquæ, sic ex corde, id est ex voluntate, pravo affectu luxuriae, vel iræ imbuita, scaturiunt male cogitationes libidinis vel vindictæ quæ ex corde in os ebulliunt, dum easdem eloquimur; et ex ore in opus erumpunt, dum easdem reipsa perpetravimus.

20. HÆC SUNT QUÆ COINQUINANT HOMINEM, NON LOTIS AUTEM MANIBUS MANDUCARE NON COINQUINANT HOMINEM. — Hæc est conclusio, et quasi impositiva, id est postfabulatio, sive postparabola pandens finem et scopum parabole, qui hic est ostendere, quod manus illotæ, et cibi illoti vel immundi non contaminant hominem, sed sola impura et prava voluntas. Hinc liquet Scribas existimasse, quod ipse cibus illotus vel immundus pollueret comedentis animam, uti dixi vers 2 et 3. Nam aliqui Christus hic non vituperat lotionem manuum ante mensam in se, cum illa ab olim omnium Gentium usu sit recepta, tum ad munditiam, tum ad sanitatem, tum ut internæ puritatis convivas admoneat. Unde Virgilius, *Æneid.* I:

Bant manibus famoli lymphas, Cereerique canistris Expedient, lousisque ferant mandilia vilis.

Hinc illotis manibus accumbere, sordidum, illiberale et agreste putatur, ac convivi causeam creat. Quocirca olim non solum sacerdotes, sed et fideles omnes ante orationem lavabant manus. Unde illud: « Levantes puras manus, » I Tim. II, Cur? 8. Nam olim fideles Eucharistiam non ore, sed manu excipiebant et ori admovebant. Vide ibi dicta.

Uxor ducis discipulis dem Venetorum præ deliciis venosum parit. Vers. 18. Mar. vii. 20.

Sensus communis in hoc coe. Vers. 19. Mar. vii. 21, 22.

Chanaan, id est, ex Chanaan. Vers. 22. Mar. vii. 25, 26.

Moraliter: discite hic quam cuilibet formandum, ornandum et custodiendum sit cor, utpote quod sit officina omnis mali et boni, omnis vitii et virtutis. Quocirca senex ille apud Moschum, in *Prato spirit.*, cap. cx, hoc singulare suis dabat monitum: « Este vnicor cordis tui, » ut nil nisi te conscio tuæque ratione probante, id illud ingrediatur vel egrediatur. Et Salomon: « Omni, ait, custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit, » *Proverb.* IV, 23. Vide ibi dicta.

21. ET EGRESSUS INDE JESUS, SECESSIT IN PARTES TYRI ET SIDONIS, — ut declinaret iras et odia Scribarum, utque Gentilibus, quales erant Tyrii, suam doctrinam et miracula, quæ Judæi et Scribæ aspernabantur, impertire inciperet; sicque probatis Judæis, utpote incredulis et perfidis, prædicationem et Ecclesiam suam transferret ad Gentes, reipsa docens Apostolos, ut id facerent, uti et fecerunt, *Act.* XIII, 46. Voluit tamen hoc latere, ut ait Marcus, tum quietis causa, ut ait Euthymius, tum ut honorem et gloriam fugeret, tum ne gravior contra se Judæos concitaret, eisque ansam cavillandi daret, quod ipse non esset Messias Judæis promissus, utpote qui iis relictis ad Gentes diverteret. « In partes, » Syrus, *in fines*; Phœnicia enim, cujus caput erat Tyrus, confinis erat Judææ. Tyrus vergebat ad Austrum, Sidon vero ad Aquilonem. Unde utrimque multi ex Tyro et Sidone exiit fama doctrinæ et miraculorum Christi, dum eum turmatim confluebant.

22. ET ECCE MULIER CHANANÆA A FINIBUS ILLIS EGRESSA CLAMAVIT, DICENS EI: MISERERE MEI, DOMINE, FILI DAVID: FILIA NEA MALE A DEMONIO VEXATUR. — « Chananeæ » non ex Cana Galilææ, sed ex Chanaanels posteris Chanaan, filii Cham, filii Noe oriunda: Chanaanæ enim fuere populus unus e septem, qui Palaestinam juxta mare, ut patet *Numer.* XIII, 30, olim incolere et ab Hebræis duce Josue fuere expulsi, sed non ex tota; nam mansere in Phœnicia, puta in Tyro et Sidone, quam nunquam expugnare potuerunt Hebræi. Unde Chanaan, filii Cham, primogenitus filius vocatus est Sidon, Sidonis urbis conditor, *Genes.* X, 15. Chanaanæ ergo idem sunt quod Phœnicie. Sic enim Septuaginta, *Josue* V, 1, pro « reges Chanaan » vertunt « reges Phœnicie. » Hinc Marcus, vii, 26, « Chananeam » hanc vocat « Syrophœnicissam, » (Syrus, ex *Punica Syria*, id est ex Phœnicia, ut habet Arabicus), vel ut quadam Græca habent *Syram Phœnicissam*, quia scilicet erat ex illa Phœnicia parte que Syriæ est conterrima; aut potius quia Syria complectebatur Phœniciam, vicinasque regiones omnes que a mari Mediterraneo usque ad Euphratem interjacent. Erant enim et alii Phœnicie extra Syriam, ut Libyophœnicie et Pœni, sive Afri, qui Pœnica lingua, quæ Hebræicæ est vicina, teste S. Hieronymo et Augustino, utebantur, quos ex Phœnicibus oriundos nomen pariter ab eisdem traxisse, non est dubium. Rursus Marcus Chananeam hanc vocat *Edomæa*, id est

Syro phœnicissam que?

Lavabant manus oratione. Cur?

Græcam; Arabicus, *Græcam Syram*; licet enim Phœnicissa esset et Syra, dicitur tamen Græca, quia in novo Testamento, maxime apud Paulum, ut patet *Rom.* I, 17; *Gal.* III, 28, omnes Gentiles vocantur Græci, quia Græci olim dominabantur Phœnicie et Syriæ; ideoque lingua eorum Græca latissime et ad Syriam usque porrigebatur. Ita S. Augustinus, *epist.* 200. Nam Alexander Magnus difficiliter et longa septem mensium obsidione, cepit Tyrum in mari sitam; ideoque duo millia Tyriorum crucifixi, teste Q. Curtio, lib. IV.

CLAMAVIT (magna vox magis affectus et desiderii est index): MISERERE MEI, — id est mea filie, ipsam enim amic ut me: quare, ipsius cruciatus est meus cruciatus, imo mælam ipsa cruciati, quam videre illam torqueret. Quare misericordiam liberationis a demone, quam ipsi contuleris, mihi contuleris. Parentes enim magis amant filios, quam ab his amantur; cujus rei causam dat Aristoteles, in *Æconom.*, quod amari descendat, quod parentes optent filios sibi suppressæ, ut post mortem in iis quasi vivant et quasi immortalæ sint, ac eferentiam quamdam, quam in seipsis habere nequeunt, in filiis et nepotibus assequantur. Ille est mælam pietatis affectus, qui filie sanitatem a Christo meruit et impetravit.

FILI DAVID, — id est o Messias! cujus proprium est opus miserorum miserari, ac ex his demones ejicere et homines sibi Deoque restituere, ut prædixerunt Prophætæ et communi voce prædicant Judei. Chananeæ cognovit Christum esse Messiam, pariter ex fama communi, pariter ex instinctu Dei.

FILIA NEA MALE A DEMONIO VEXATUR. — Arabicus: *Malum habebat demonium.* Græce *δαμονισμένη*, id est, est demoniaca, a demone agitur. Dæmon enim membra orum quos possidet, distorta, laniata, cruciatum cum ingenti possessorum dolore et intuentium horrore; animam vero horrendis phantasmatibus et spectris, ac timoribus, mæroribus et angoribus affligit: dæmon enim in Deum, ac consequenter in hominem, qui est imago Dei, immensum habet odium, unde cum ledit et cruciat quantum potest. Chananeæ non addit: Veni, et libera eam; sed tantum malum filie Christo representant, reliquum ejus prudentie et charitati committit, confidens illum opem filie modo convenienti allaturum: qua in re magna tum animi resignationem, tum fiduciam in Christum ostendit.

23. QUI NON RESPONDET EI VERBUM, — ut ejus fidem, spem, humilitatem et constantiam probaret, auget, et, ut ait Chrysostomus, aliis patefaceret, imitandamque proponeret.

ET ACCIDENTES DISCIPULI EIUS ROGAVANT EUM, DICENTES: DIMITTE EAM (concedendo ei quod petit, scilicet filiam a demone liberationem), QUIA CLAMAT POST NOS. — Arabicus: *in vestigiis nostris; hæc enim insisit, assidueque sequitur nos de-*

Parolanam majori gratia de herum. Cur?

mando et obtestando pro salute filie: libera ergo et illam a dolore et labore clamandi, ac te et nos a molestia audiendi, ne nobis aures obfundat. Verum ex corde desiderante ac fervente gemitus inenarrabilis emittuntur, quibus velut suavit musicæ Christus demulcetur, ait S. Augustinus, *epist. 124, cap. xv.*

Dices: Marcus, cap. vii, 2, dicit eam intrasse in domum, ibique ad pedes Christi prociidisse. Respondet S. Augustinus, lib. II *De Cons. Evang.*, cap. xlix, Chananeam prius in domo Christum obsecrasse, ut ait Marcus, deinde Christo exeunte domo illum secutam idem a Christo flagitasse. Verius tamen videtur illam prius in via, ut hic dicitur, deinde in domo, ut indicat Marcus, supplicasse Christo. Ita Jansenius, Salmeron et alii.

24. IPSE AUTEM AIT: NON SUM MISSUS, NISI AD OVES QUÆ PERIERUNT (Arabibus, errantes) DOMUS ISRAEL. — Syrus, *que oberravit a domo Israel*, ut scilicet solis Israelitis, quibus quasi ovibus pascedis a Deo promissus est Messias, quasi pastor corporalem mei presentiam, ac per consequens Evangelii et miraculorum meorum gratiam exhibeam. Unde Christus a Paulo, *Rom. xv, 8*, vocatur minister circumcisionis, id est circumcisionum, sive Judæorum doctor. Ita S. Hilarius et S. Augustinus, tract. 31 in *Joannem*.

25. AT ILLA VENIT, ET ADORAVIT (supplex flexis ante Christum genibus) EUM, DICENS: DOMINE, ADJUVA ME. — Chananea a Christo repulsam passa non restitit, nec spem abiecit, sed fortius institit majoremque spem concepit, ac validius clamavit, imo constanter Christum secuta est usque in domum, ut habet Marcus, cap. vii, 24 et 25; atque hac sua constantia, humilitate et perseverantia meruit exaudiri. Deus enim invocatus sepe initio non exaudit, ut orans preces et vota continet et augeat, utque beneficium quod petitur, eo gratius accidat, quo magis fuit desideratum et diutius postulatum: perseverantibus enim Deus nil negat, ut patet in Chananea hac: fuit enim ipsa « pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis, » ait S. Ambrosius, lib. V in *Lucam*, sub finem.

26. QUI RESPONDENS AIT: NON EST BONUM (Græce *καλον*), id est honestum, decens, congruum) SERVIRE PANEM FILIORUM ET MITTERE (Græce *βαλειν*, id est proficere; Syrus, *oljicere*) CANIBUS. — Loquitur Christus more Judæorum, qui Gentiles (qualis erat Chananea) quasi vilissimos idololatrias appellabant canes. Est hæc secunda Chananeæ repulsa a Christo facta, illaque prior acrior: pungit enim illam vocando canem, qui prociis solet frustum panis. « Panem » intelligit non corporalem, sed spiritalem, scilicet Evangelii et miraculorum suorum gratiam: hæc enim Judæis solis, quasi fidelibus et filiis, a Deo erat promissa. Unde Marcus, vii, 27, addit Christum dixisse: « Sine prius saturari filios, » *q. d.* Sine ut prius sanem omnes Judæos a me opem postulantes.

Pari modo Christus sæpe animas sanctas, dum aliquid desiderant, punit, humiliat et mortificat, ut humilium et ardentium idipsum postulent, itaque impetrent. Sapienter S. Chrysostomus, *hom. 30 in Gen.*: « Sive, inquit, consequamur quod petimus, sive non consequamur, perseveremus semper in oratione. Et non solum gratias agamus, si consequamur, sed etiamsi repulsam passi fuerimus. Nam cum Deus aliquid nobis denegat, non minus est, quam si concessisset. Nescimus enim nos quæ nobis conducant, sicut ipse novit. »

27. AT ILLA DIXIT: ETIAM, DOMINE: NAM ET CA-  
TELLI EDUNT DE MICIS QUÆ CADUNT DE MENSA DOMINORUM SUORUM. — Te etiam confirmantis est. Græce enim est *vai*, id est certe, profecto, *q. d.* Omnino ita est, verissimum dicit, mi Christe. Agnosco enim me esse vilem canem, nec par ego ut panis filiorum, id est gratiam miraculorum Messie Judæis promissi, mihi gentili quasi cani detur; sed tamen canes et catelli (Græce enim eadem est vox *καὶ κύνες*) solent edere de micis panum, quæ cadunt de mensa dominorum et filiorum suorum: nutri ergo me ut catellam tuam, quia non possum relinquere mensam Domini mei, cuius catelli sum; quod si pede vel fuste abigas, secedam, sed per aliam portam ut catella rursum intrabo; verberibus non cedam. Nullum erit verbum aut verber tam asperum, quod a te me abigat, aut divellat: non te dimittam, donec mihi des quod postulo. Da igitur, o Domine beatissime! tantum micam, id est minimam gratiam sanitatis filie mee, quæ velut una mica obiter tibi apud nos Tyrios et Gentiles excidat, et a me colligatur. Mihi, inquam, gentili detur a te mica gratiæ et misericordiæ; Judæis vero filiis servetur integer panis promissionis et justitiæ. Stringit enim Chananea Christum prudentem, modeste et nervose sua ipsius sententia, atque humili fide et ratiocinio ipsum vinci volentem oratione et ratione vincit, ait S. Chrysostomus; imo Christum suis verbis irretit, comprehendit et capit, *q. d.* « Si canis sum, non sum aliena, inquit Chrysostomus; canem me dicit, ergo nutri me ut canem, non possum relinquere mensam Domini mei. » Et S. Hieronymus: « Mira, ait, hujus mulieris fides, patientia, et humilitas prædicatur: fides, quæ credebatur sanari posse filiam suam; patientia, qua toties contempta in precibus perseverat; humilitas, quod se non canibus, sed catulis comparat. Scio, inquit, me filiorum panem non mereri, nec integros capere posse cibos, nec sedere ad mensam posse cum patre, sed contenta sum reliquis catulorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem. » Rursum S. Chrysostomus, *hom. 47 ex variis locis in Matth.*: « Non respuo opprobrium, inquit, tantum accipiam vel oscam canis. Tu, fac quod debetur cani, quia canem me vocas, da mihi micam. O Domine, factus es advocatus meæ postulationis, abnegando promittis. » Et Victor Antiochenus, in

Marci cap. vii: « Magni, ait, beneficii loco duco, vel in eorum ordine haberi. Tante enim sunt mensæ Domineæ opes, ut abunde mihi sat sit, si justorum tuorum micis frui liceat. »

Moraliter: contemplare hic ideam perfecte orationis, illamque imitare, Chananea enim hæc docet nos orare: primo, cum magna humilitate, dum canem se agnoscit; secundo, fide, quod Christum vocet filium David, id est Messiam, Deum et Salvatorem Judæis promissum; tertio, modestia, quod jus canum et suam miseriam proponit Christo, non lætæ et, ac conclusionem inferat, ut Christus sanet filiam, sed in Christo faciendum relinquit; quarto, prudentia, qua ipsum Christum suis verbis comprehendit ac rationem contra se factam in ipsum leniter retorsit, illamque vertit in argumentum impetrandi; quinto, reverentia, religione et devotione, qua genibus flexis supplicavit; sexto, resignatione, qua non dixit: Sana filiam meam, sed adjuva me eo modo quo tibi melius visum fuerit; septimo, fiducia, qua Gentilis licet, serio speravit se a Christo exaudiri; octavo, ardore, quo clamavit ad Christum; nono, charitate, qua pro filia, quasi pro seipsa sollicita interessit, dicens: « Miserere mei; » decimo, constantia et perseverantia, qua, licet secundo a Christo repulsa, persistit et vehementius orando institit. Vere Chrysologus, *serm. 400*: « Merito, inquit, quæ se canem confessa est, in hominem commutatur. Merito adoptatur in filiam, levatur et honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili humilitate dejecit. » Chananeam hanc imitatus S. Laurentius Justinianus, primus Venetorum Patriarcha, moriturus sic Deum orabat: « Felicium spirituum sedes affectare non ausim, qui speciem intuentur Sanctæ Trinitatis; portio tamen aliqua creature tuæ postulat micam suavisimam mensæ tuæ. Nimium mihi fuerit, et heu! quam nimium! si subtus calcæos infimi electi tui loculum aliquem huic pusillo servo tuo non negaveris. » Ita habet Vita ejus apud Surium ad diem 8 Januarii, cap. xi.

28. TUNC RESPONDENS JESUS, AIT ILLI: O MULIER, MAGNA EST FIDES TUA: FIAT TIBI SICUT VIS. — Marcus, vii: « Propter hunc sermonem, vade, exiit demonium (me expellente) a filia tua. » Non potuit Christus dissimulare seque continere, sed victis ratione et oratione Chananeæ, quasi admirans exclamavit: « O mulier, magna est fides tua. » Ideo, ait S. Chrysostomus, eam repulerat, ut ad hanc vocem rem in consequentia conveniret, ut fulgente corona nuper ornaret. « Magna, » id est rara et eximia est fides tua, tum in se, qua, licet gentili, credis me esse Messiam et Salvatorem mundi; tum in suis affectis, puta virtutibus, scilicet humilitate, reverentia, charitate, constantia et cæteris jam recensitis, quas ex se pari et producti fides magna; quare meruit impetrare quod petebat, et audire: « Fiat tibi sicut vis, » id est petis. Hæc verba, ait Chrysostomus,

sunt similia illis: « Fiat firmamentum, et factum est, » *Genes. i.* Unde sequitur: « Et sanata est filia ejus illa hora. » Vide hic efficaciam ferventis orationis, qua Jacob luctans cum Angelo eum vicit, ab eoque obtinuit benedictionem quam flagitabat, ideoque pro labore dicitur est Israel, id est dominans Deo, *Gen. xxxviii, 28.* Oratio ergo facit nos Israeles, id est dominantes Deo.

Tropologie: filia vexata a demone est anima tentata a diabolo et peccato polluta, ait Rabanus, quæ proinde illico debet suis viribus diffidere et fidere Christo, eumque invocare cum humilitate et compunctione, ut se canem, id est vilem peccatricem agnoscat, sed ita ut non desperet de venia, imo vero eo magis speret de Christi misericordia, quæ major est ejus miseria. Magnum enim medicum decet magnos morbos curare, et magnum Deum magna operari, et magnum Christum magnos peccatores sanctificare et salvare.

Allegorice: filia hæc gentilis est Ecclesia Gentium, quæ a salute exclusa per Dei justitiam, in eam per fenestram misericordiæ irrupit effractis regni cælorum portis. Ubi magna facta est conversio: nam Judæi, qui prius erant filii, ob infidelitatem in Christum facti sunt canes, juxta illud: « Circumdederunt me canes mulier, » *Psal. xxi*; ideoque quasi canes comederunt ossa, id est literarum sanctæ Scripturæ: Gentes vero, quæ erant canes, facti sunt filii, comeduntur de mensa Christi panem Eucharistiæ, et sensum reconditum sanctæ Scripturæ quasi medullam et adipem frumentum. Ita S. Hieronymus.

ET SANATA EST FILIA EJUS EX ILLA HORA. — Marcus, cap. vii: « Et cum abisset domum, invenit puellam (liberam a demone, sed ejus vexatione fatigatam) jacentem super lectum, » quasi jam quiescentem securam et lætam. Sic Theophylactus: Anima peccatrix per absolutionem Christi liberata a peccato, quiescit in lecto tranquille, serene et hilaris conscientie. Moralia perplura documenta ex historia colligit Jansenius in fine cap. vi *Concordiæ Evang.* et Salmeron, lib. vi, cap. xxix ad calcem; et Barradius, lib. X, cap. xiv; et Vincentius Regius, *Ditædial. Evang.*, part. III, lib. V, cap. ii, *Digress. moralis* 4 et 2.

29. ET CUM TRANSSISSET IUDÆI JESUS, VENIT SECUM MARE GALILÆE; ET ASCENDENS IN MONTEM, SEDERAT IBI, — tum secreti et quietis causa, tum ut in monte omnibus conspicuus, expectaret multitudinem ad se confluentem vel predicationis, vel sanationis causa: omnibus ergo Christus se promptum ad beneficiendum exhibet et offert. Mystice Glossa: « Mare, inquit, juxta quod venit, turbida hujus sæculi volumina significat, quæ est Galilææ, cum homines a vitis ad virtutes transmigrant. » Et S. Hieronymus: « Ascendit, ait, in montem, ut quasi avis teneros festus provocet ad volandum. » Et Rabanus: « Ut scilicet auditores suos erigat ad superna et cœlestia me-

Deem  
virtutes  
orationis  
postulat-

Ver. 27.  
Mar. vii.  
25.  
Concord.  
se Chrys.  
sua ora.

Ver. 28.  
Mar. vii.  
25, 26.

ditanda, sedebatque ibi, ut demonstraret non nisi in caelestibus requiem esse querendam. »

Vers. 30. Mar. vii. 12. 30. ET ACCESSERUNT AD EUM TURBE MULTAE HABENTES SECUM MUTOS, CAECOS, CLAUDOS, DEBILES ET ALIOS MULTOS, ET PROIECERUNT EOS AD PEDES EJUS, ET CERAVIT EOS. — « Debiles, » Graece κληιδες, id est mancos, membris captos. S. Joannes, cap. v, 3, vocat κληιδες, id est aridos, qualis erat ille habens manum aridam, Matth., xii, 13. Unde Arabibus hic pro debiles habet aridos. « Et alios multos, » aliis morbis et vitis corporis obnoxios; « et curavit eos » omnes. Ecce hic implet quod dixit vers. 26, nimirum Judaeos quasi filios saturat pane miraculorum; cum Gentilibus quasi canibus ut Chananaeae, micam tantum dederit sanitatis.

Mystice Glossa : « Muti sunt, inquit, qui non laudant Deum; caeci, qui non intelligunt viam vitae; surdi, qui non obtemperant; claudi, per devia boni operis non recte euntes; debiles sunt, qui infirmi sunt in bonis operibus. » Praeclara B. Petrus Chrysologus, serm. 50 : « Christus, inquit, venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes; humana querere, prestare divina; accipere injurias, reddere dignitates; ferre taedia, deferre sanitates; quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. »

Vers. 31. 31. ITA UT TURBE MIRABANTUR, VIDENTES MUTOS LOQUENTES, CLAUDOS AMBULANTES, CAECOS VIDENTES, ET MAGNIFICABANT DEUM ISRAEL. — Quod exhibuisset eis Messiam tot beneficiorum et miraculorum patratorem, Israeli, id est Jacobo ac Abraham eorumque posteris Israelitis promissum. Graeca et Syra addunt κληιδες, κληιδες, id est debiles, seu mancos sanos, hoc est usui membrorum restitutos.

Vers. 32. Mar. vii. 4, 5. 32. JESUS AUTEM CONVOCATIS DISCIPULIS DIXIT : MISEREOR TURBE, QUIA JAM TRIDDO PERSEVERANT MECUM, ET NON HABENT QUOD MANDUCENT; ET DIMITTETE EOS JEJUNOS NOLO, NE DEFICIANT IN VIA. — Christus egros sanavit, jam tam sanatis, quam sanis fage laborantibus cibos exhibet : « Vult enim, ait S. Hieronymus, pascere quos curaverat, et ablatis debilitatibus jam sanis offerre cibos. » Ita perfecta sunt misericordiae Christi opera, ut nos similia facere doceat. « Misereor, » Graece ελεησαυρα, Heb. רחמתי rachamaim, id est intus visceribus commoveor et misereor turbam hanc mei causa lamentem; me enim jejuna sequitur toto triduo. Vide hic ardens populi studium erga Christum, qui ita ejus doctrinae intendit, ut cibi siveque obviscatur, ac vicissim indefessum Christi erga eos laborem et ardorem, quod toto triduo sine quiete, refectione et somno praedicoet, et sanet egros quoslibet in turba. Porro, Christus curat primo animas, deinde corpora. Idem faciat praelatus et pastor. Ad Christi enim providentiam pertinet implere illud a se sancitum : « Quarite primum regnum caelorum et justitiam ejus; et

haec omnia adjuverunt vobis, » Matth., vi, 33. Sic S. Carolus Borromeus sui obliviscens, totum se sui populi obsequiis impendebat. Unde tempore orationis quadraginta horarum integras quadraginta horas in templo praedicando, orando, celebrando, etc., sine somno et cibo perdurabat, ut habet ejus Vita; nimirum mens Deo et divinis operibus intenta, famem non sentit, quia fide et charitate pascitur, juxta illud Christi Samaritanam instruentis : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus, » Joan., cap. iv, 34.

QUIA TRIDDO JAM PERSEVERANT MECUM, ET NON HABENT QUOD MANDUCENT. — « Elsi enim, ait S. Chrysostomus, quando venerunt, cibos habuerunt; tamen consumpti jam erant, et propter hoc non in prima aut secunda die hoc fecit, sed in tertia; quando jam omnia erant consumpta, ut prius ipsi in necessitate constituti, cum ampliori desiderio susceperent quod fiebat. » Verum in tanta multitudine verisimile est multos nil ciborum tulisse secum, ideoque per triduum mansisse jejunos, utpote illius charitate et dulcedine Christi. « Deficient in via, quidam enim ex eis de longe venerunt, » ait Marcus, viii, 3.

Mystice Remigius : « Peccatores, ait, per penitentiam conversi, in cursu labentis saeculi pereunt, si absque sacrae doctrinae pabulo dimittantur. » Glossa vero : « Prius, ait, Dominus auferit debilitates, et postea cibavit, quia prius removenda sunt peccata, et postea anima verbis Dei nutrienda. »

33. ET DICUNT EI DISCIPULI : UNDE ERGO NOBIS IN DESERTO (COMPAREMUS) PANES TANTOS, UT SATUREMUS TURBAM TANTAM ? — Arabibus : Unde inveniemus panem in deserto, qui satiet hanc turbam ? « Tantos, » id est tam multos, aequae enim multitudine, sive numerus est quantitas ac magnitudo; quantitas enim duae sunt species : dividitur enim quantitas in continuum, qualis est magnitudo; et discretam, qualis est multitudo, sive numerus. Discipuli humana rem molientes, putabant esse impossibile tot panes reperire in deserto, sed Christus in necessitate, cum deficiunt humana praesidia, sufficit divina; interim discipulorum aestimatio impossibilitatis, illustravit hoc Christi miraculum.

ET AIT ILLIS JESUS : QUOT HABETIS PANES ? AT ILLI DIXERUNT : SEPTEM, ET PAUCOS PISCICULOS. — Syrus : Modicum piscium minutorum. Panes hic videtur fuisse Apostolorum, q. d. « Quot habetis panes, » ad familiam nostram alendam comportatos ? quia enim Christus crebro secedebat in desertum, hinc Apostoli aliquid annonae secum deferrebant, sed modicum et exilic. Vide cap. xvi, 7.

SEPTEM. — In priore panum multiplicatione, cap. xiv, 17, erant quinque panes duntaxat, hic vero sunt septem; sed Christo tam facile fuit multiplicare hos quam illos : voluit enim varii numerum tam panum, quam hominum, ne unum

S. Caro  
H. Berne  
mae in  
hoc casu  
dinas.

Vers. 33.  
Marc.  
viii, 5.

idemque videretur utrobique miraculum, sed duo.

Mystice S. Bernardus, serm. De Septem Panibus, per eos accipit septem dona Dei : « Primus panis, inquit, verbum Dei, in quo vita hominis est, sicut et ipse testatur. Secundus panis obedientia est : « Quoniam meus cibus est, inquit, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. » Tertius panis, meditatio sancta, de qua scriptum est : Cogitatio conservabit te; et quae alio in loco nominari videtur panis vitae et intellectus. Quartus panis, orantium lacrymae. Quintus vero penitentiae labor est. Sextus panis est jucunda unanimis socialis : panis, inquam, ex diversis granis confectus, fermentatus utique sapientia Dei. Porro, septimus panis est Eucharista : « Quoniam panis, inquit, quem ego do, caro mea est pro mundi vita. » Idem sequenti sermone septem panes de Dei misericordiae interpretatur. Prima misericordia Dei, inquit, est quod me a multis peccatis preservavit in qua alioquin incidissem; secunda, quod peccantem et peccata dissimulavit; tertia, quod ad penitentiam excitavit; quarta, quod penitentem recepit in gratiam; quinta, quod dederit gratiam continendi, ne in pristina peccata relaberer; sexta, quod dederit munus bene conversandi; septima, quod indigno dederit extot beneficiis ad celestia speranda presumere. Idem, serm. 3, similis modo mystice septem misericordiarum fragmenta assignat.

Vers. 35. Mar. vii, 6. 35. ET PRECEPIT TURBE, UT DISCUMBERET SUPER TERRAM, — sedendo eo modo et situ, quo solent pransuri, sed sine mensa, vasisque mensalibus, ut fiebat in statu legis naturae tempore Adae. Christus enim suos reficit ad sufficientiam et ad necessitatem, non ad voluptatem et luxum.

Vers. 36. Mar. vii, 6. 36. ET ACCIPIENS SEPTEM PANES ET PISCES, ET GRATIAS AGENS, FREGIT ET DEDIT DISCIPULIS SUIS, ET DISCIPULI POPULO. — « Gratiarum agens, » Graece εὐχαριστίας, id est cum gratias egisset, invocando Dei Patris opem ad novam gratiam multiplicationis panum. Syrus, laudavit Deum. Qui enim gratus est gratias agit de beneficio accepto, novum meretur accipere. Per synecdochen ergo sub gratiarum actione, velut una et prima orationis specie et parte, ceteras omnes intellige, ac praesertim postulationem novi concursus, ad novum hoc miraculum patrandum. Poterat Christus ut Deus, per se suoque nutu multiplicare panes, sed quia homo more suo orat Deum, ut vim ad hoc miraculum suggerat, prorsus plane videtur Christus post gratiarum actionem, signando panes cruce, eos benedixisse, ac benedicens multiplicasse sensim et continue inter frangendum et distribuendum, uti fecit cap. xiv, vers. 19 : « Aspicies in caelum, inquit, benedixit, et fregit, et dedit. » Unde Arabibus hic pro gratias agens vertit benedixit, scilicet panem et pisces.

37. ET COMEDERUNT OMNES, ET SATURATI SUNT; ET QUOD SUPERFUIT DE FRAGMENTIS, TULERUNT SEPTEM SPONDAE PLENAE. — Tot scilicet, quot fuerant

panes; ac proinde tantum panis superfuit, quantum initio Christo oblatum fuit, imo amplius : quaelibet enim sponda (quae unus est justum hominis, sive manus portantis) plusquam unum panem continebat; imo Franciscus Lucas opinatur spondam, Graece σπονδα, fuisse duplicem cophini, esseque omnis quod a duobus portatur. Arabibus tamen pro septem spondas vertit septem cophinos. Voluit Christus colligi fragmenta et micas, tum in memoriam miraculi, tum ut nihil de donis Dei deperiret, tum ut doceret nos esse frugi et frugaliter Dei creaturis cibisque uti. Ex hoc Christi jussu, in religionibus nonnullis statutum est, ut post mensam quisque micas suas in lanceam colligat. Auid quid in Vita S. Odonis, abbas Cluniacensis, cap. xiv, narratur (extat apud Surium die 28 novemb.) : « Micas ex panum sectione decedentes singuli diligenter colligebant, et ante lectionis finem cum benedictione sumebant : finita lectione, nec illas, nec cibum ullum quisquam capere ausus erat. Has autem micas illis cibis sacratioribus existimabant propter miraculum. » Hoc autem miraculum sic se habuit : Monacho moribundo, qui micas pro consuetudine non comedebat cum bene valeret, sed sinebat a mensa cadere, demon sacculum micarum plenum ostentavit saepe terrenis hominibus, et se crucis signo munire ac vociferari coegit. Ex eo die magno studio micas ille colligebantur. Ibidem, cap. xvii, narratur aliud miraculum, scilicet micas in manu religiosi esse micas in margaris fuisse conversas, quae postea ornamento cuidam Ecclesiae intextae sunt. S. Franciscus in visu vidit se micas panum colligere, ac coelitus jussus ex omnibus unam hostiam conficere, eamque in fratres distribuere, vidit eos qui illum respuebant, lepra notari, mox visioni explicationem hanc a Deo accepit : Micas sunt verba Evangelica, hostia est regula, lepra est iniquitas. Ita S. Bonaventura in ejus Vita, cap. iii, in fine. Vide notum Julium Nigronium, tract. De Cura minorum.

38. ERANT AUTEM QUI MANDUCAVERANT QUATOR MILLIA HOMINUM EXTRA (praeter) PARVULOS ET MULIERES. — Vide dicta cap. xiv, 21. Moralia quae ibidem versibus praecedentibus recensuit, etiam huic loco et miraculo adaptanda sunt.

39. ET DIMISSA TURBA ASCENDIT IN NAVICULAM, ET VENIT IN FINES MAGEDAN. — Graece Magdala; Arabibus Magadal. Saepe enim littera M et N liquescunt in L, uti ostendi Cantic. vi, 13, in voce Sulamitis et Sulamitis. Magadan est oppidum ultra mare Galilaeae, situm juxta Gerasan; nunc Magadana regio dicitur, ait S. Hieronymus in Locis Hebr. Marcus, viii, 10, pro Magadan habet Dalmanutha, sive quod unus idemque locus fuerit bitomius, ut vult S. Augustinus, unde et nonnulli codices in Marco pro Dalmanutha habent Magadan; sive potius quod haec erant duo loca, sive oppida, sed vicina, ac Christus venerit in fines

Monachus, qui  
micationis  
colleges  
erat in  
mortu  
retur.

Visto  
sancti  
Francis-  
ci.

Vers. 38.  
Marc.  
viii, 3.

Vers. 39.  
Marc.  
viii, 10.

Macrod  
qui?

utriusque, quia appulit ad litus, quod utriusque oppido vicinum erat. Perperam Brocardus, *Itiner.* 11, censet *Magedan* esse *Medan*, id est aquas Dan, nimirum fontem illum ex quo Jordanis oritur, quem Iosephus *Phialam* vocat; nam Medan et origo Jordanis longissime distat a mari Galilææ, cui adiacebat Magedan. Perperam quoque nonnulli censent *Magedan* esse *Mageddo*, ubi cæsus

est Josias, rex Juda; nam Magedan est ultra Mageddo cis mare Galilææ, ac longe ab eo distat: adiacebat enim torrenti Cison, ac vicinum est Cæsareæ et mari Mediterraneo. Vide *Ta bulas Geograph.* Adrichomii. Hic versus spectat ad eum apud sequens. Unde nulli ab eo inchoant cap. xv r. In Mageddo enim contigit Scribarum petitio signi de celo, quæ sequitur.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Pharisei a Christo petunt signum e celo, quibus ipse dat signum Jonæ. Secundo, vers. 6, monet discipulos ut caveant a fermento, id est mala doctrina Phariseorum. Tertio, vers. 13, eos rogat, quem se esse censent? Petrus respondet: Tu es Christus, Filius Dei vivi; quare Christus promittit ei Ecclesiam Petram et claves cæli. Quarto, vers. 21, prædicat suam passionem et resurrectionem, suosque vocat ad crucem.*

1. Et accesserunt ad eum Pharisei et Sadducei tentantes; et rogaverunt eum ut signum de celo ostenderet eis. 2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere, dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum. 3. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. 4. Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophætæ. Et relictis illis, abiit. 5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. 6. Qui dixit illis: Intuemini, et cavete a fermento Phariseorum et Sadduceorum. 7. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus. 8. Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? 9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinq; millia hominum, et quot copinos sumpsistis? 10. neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis? 11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Phariseorum et Sadduceorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Phariseorum et Sadduceorum. 13. Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi; et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. 15. Dicit illis Jesus: Vos autem, quæ me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. 17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. 18. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalent adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis. 20. Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. 21. Exinde cepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolimam, et multa pati a senioribus, et Scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. 22. Et assumens eum Petrus, cepit increpare illum, dicens: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc. 23. Qui conversus, dixit Petro: Vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. 24. Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem

suam, et sequatur me. 25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. 26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. 28. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

1. ET ACCESSERUNT AD EUM (in Magedan, cap. xv, vers. uk.) PHARISEI ET SADDUCEI (de quibus dixi cap. iii, vers. 7) TENTANTES; ET ROGAVERUNT EUM UT SIGNUM DE COELO OSTENDERET EIS. — Idem rogaverunt cap. xii, 38. Sed hic rursum rogant occasione miraculi multiplicationis panum, quod paulo ante Christus patravit. Cum enim hoc viderent passim a turbis, quæ presentes et panum participes fuerant, celebrari, ut illud apud populum elevarent, dixerunt illud signum esse terrestre, posseque a demone, qui in terra dominatur, fieri: insinuant ergo Christum esse Magum, et ope demonis multiplicasse panes, cæteraque sua mira patrasse, ut colligitur ex cap. xii, 24. Petunt igitur a Christo signum de celo, ut Deus, qui regnat in celo, per illud attestet Christo eum a se missum et celestem ejus esse doctrinam: quod si fecerit, se credituros in eum quasi Messiam et populum in eandem fidem inducturos. Sed Sadducei, utpote athei, censebant nullum posse dari signum e celo a Deo, sicuti illorum opinione nullus erat; Pharisei censebant posse dari hoc signum, sed non dandum a Christo, utpote qui vel non erat Messias, vel si erat, nollet eorum petitioni annuere, uti noluerat cap. xii, 38; quare putabant se populo persuasuros Christum non posse edere signum de celo, ac consequenter non esse missum a Deo, sed a demone. Cætera vide explicata cap. xii, 38. Aliter Lyranus, qui censet Judæos astrologie judicariæ deditos, petisse a Christo signum quo ex astris ostenderet se esse Messiam; in astris enim designasse et quasi scripsisse Deum omnem suam providentiam circa res humanas totumque ordinem universi. Verum nihil tale hic innuit Matthæus. Proprie videntur Pharisei allusisse ad manna, ut colligitur ex *Joan.* vi, 30, 31, q. d. O Jesu, multiplicasti quidem panes in terra, sed da signum e celo, scilicet plene manna de celo, uti fecit Moses, sic ostendes te Mose esse simiim, novumque Evangelii tui legislatorem a Deo missum. Ita Remigius, Beda, Abulensis.

2. AT ILLE RESPONDENS, AIT ILLIS: FACTO VESPERE, DICITIS: SERENUM ERIT (crastino mane), RUBICUNDUM EST ENIM COELUM. — Ratio physica est, quod rubor cæli, id est aeris, indicet nubes esse raras, ideoque facile tota nocte consumendas vel dissipandas, ac consequenter mane fore serenum, utpote nube vacuum. Rubor enim est medijs color inter nigredinem et albedinam. Nigredo nubium significat nubes esse spissas et densas, utpote per quas radii solis penetrare nequeant, ideoque opacæ et soluti difficiles: albedo indicat eas esse rarissimas, utpote per quas radii solis transparent et traheant: rubedo indicat eas nec esse plane densas, nec rarissimas, sed rarescere, ideoque partim solem per eas transperare, partim excludi; rubedo enim habet aliquid nigredinis et aliquid albedinis, ex utraque enim commista est: quatenus accedat ad nigredinem, solis radios excludit; quatenus accedit ad albedinem, eosdem admittit et transmittit.

3. ET MANE: HODIE TEMPESTAS (erit pluvius aut venti), RUTILAT ENIM TRISTE COELUM. — Græce est *ὀψέλει*, id est rubicundum est; *ὀψέλει*, id est *maximam afferens cælum.* « Rutilat » ergo, id est *rubet*, ut veritè Syrus et Arabicus. Rutilus enim color est rubeus, quia rubedo rutilat, id est splendescit. Sic Ovidius, lib. V *Metamorph.*: « Cruor rutilus, » inquit, id est rubeus; et « capilli rutili, » id est rubei, lib. II *Metamorph.* « Et Mars rutilus, » id est rubeus et cruentus, apud Ciceronem in *Somnio Scipionis*, « Et flamma rutila, » id est rubea et splendens, II *Fast.* Ratio physica est, quod cælum, si vesperere rubeat, indicet raras esse nubes, ideoque nocte, utpote quæ prolixa est, consumendas: sol enim occidens et abiens nequit eas liquare; sin mane rubeat, indicat nubes esse raras quidem, sed tamen ita densas, ut a sole oriente nequeant consumi, sed illi resistant, quare mox a sole increcente et incalcescente resolvendas in pluviam aut ventum. Ex eo enim quod per penetrationem radiorum solis rarefactæ sunt, liquet eas viciniores esse, ut in pluviam aut ventum resolvantur a sole, quam ut a sole alio propellantur. Audi Plinium, lib. XVIII *de Præcipitiis*, serentatis signum est. Si occubuit pridie nifido celo, et oritur eodem, tunc certius argumentum serenitatis. Si sol in ortu appareat major, quam solet, si quasi cæruleo colore imbutus prodeat vel occidat, imbrem; si igneo, Euro nuntiat. Cum ante illius ortum rubeant nubes, venti erunt; cum expallescent, vel nigrae rubeantibus intermiscerunt, pluviam vendunt. » Ex luna similia hæc accipit præsentia: « Si splendens exorta puro nitore fulsit, serenitatem; » si rubicunda, ventos; si nigra, pluvias portendere creditur, » autem

Pharisei signum de celo petunt a Christo. Cur?

Vers. 2. *ὀψέλει*, id est *30.*

Rutilus color est rubeus.

Mane non est tempestas.

Cur?